DE FEBRIS MUCOSAE PATHOLOGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XIX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
BERNHARD. THEOD. SCHILGEN
RHEINA-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
J. HUESER, MED. ET CHIR. DR.
C. JEHN, MED. ET CHIR. CAND.
J. WEIHE, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Sed quod prae caeteris animadverto, in nullo morborum genere tanta opus est patientia, expectatione, cunctationeque ad bene et feliciter medendum, quanta ad bene curandas febres mesentericas.

G. Baglivus.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

J. GOTTF. SCHILGEN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO ET CHIRURGICO PRACTICO RHEINENSI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

De febris mucosae natura, finibus, medendique methodo medicorum opiniones, et antiquorum et adhuc viventium, mira tenentur incertitudine. Quin hic morbus, quem describere ausus sum, veteribus haud ignotus, semperque in commentariis medicis commemoratus, usque ad nostram aetatem dissentionibus, controversiisque frequentissimis ansam praebuit, utpote qui ab aliis in febrium nervosarum tenebras induceretur *), ab aliis cum gastricis confusus febribus **), aliisque demum

*) Thom. Glafs Commentar. de febr. ad. Hippocrat. disclip. Jen. 1771. pag. 105: Cum itaque affectus, a superibus nostris pituitae corruptae adscripti, et ex eadem occasione ortum ducant, et idem genus hominum corripiant, et eadem accidentia habeant, atque febres nervosae ....; aequum est igitur, ut concludamus, febrem phlegmaticam et nervosam nomine tantum, non re differre.

**) J. N. von Raimann's Handb. der spez. Pathol. und Therapie.

venosarum adscribendus familiae recenseretur. Lusus quoque mirifici, et innumerae varietates accidentales observantur, aeque in pituitosis ac biliosis; prout nempe haec vel illa corporis pars peculiarius afficitur, ita varia erit laesarum functionum imago, materie licet eadem existente *). Qui status rerum me impulit, ut juvenilibus licet viribus me ad hoc opusculum accingerem, in quo hic illicque sparsa conferre, discrepantia comparare, nodumque exinde discriminis solvere, nec non morbi, quae melior visa est, descriptionem proferre conatus sum. Ignoscas autem, b. l., mihi majora forsan auso, si rem illa suppeditante amplitudine ac doctrinarum sagaci investigatione, quibus par fuisset, haud absolutam intelliges propter breve academici temporis spatium, parcam admodum observationem, et quod eo tantum animo rem aggressus sim, ut ordinis medici legibus satisfacerem.

*) Maximil. Stoll. Ratio medendi in nosocom. pract. Vienn. 1780. T. III. pag. 143.

HISTORIA MORBI.

Praemittenda subinde, ut clarius morbi innotescat facies, nonnulla de historia morbi literaria, ex quibus synonymorum nimis possim accreta copia intelligi licebit. Jam supra dixi, hanc febrem artis nostrae auctoribus plane haud ignotam fuisse, nam in Hippocratis, aliorumque veterrimorum medicorum scriptis varia huc spectantia denotata sunt; ideae autem de hujus nondum quidem distincti morbi natura, indole et proprietatibus maxime crudae et singulares erant. Ut singula autem in Hippocratis libris aphoristicis, coac. Praenoti aliisque dispersa praetereamus, id solum moneo, Hippocratem systema philosophicum Empedoclidis, quod tum prae ceteris valuit, imitaturum, quatuor rerum elementa in corpore humano, microcosmo reperire credidisse, atque idcirco quartum mucum stitisse c. h. principium elementarium, multorum morborum fomitem et originem. Anatomicis scientiis alienus mucum, ignotis licet causis acrem redditum ex cerebro, utut glandula propullulare, et varios, quos catarrhoicorum nomine complexus est, morbos excitare putavit. Gener Hippocratis, Polybus mucum e stomacho, cloaca morbosarum materiarum communi

ad cerebrum adtrahi, et catarrhoicos morbos illinc oriri induxit. Quamquam quaelibet distinctior morbi cognitio illos fugit, fidelis attamen observatio cognationem cerebri cum organis mucosis agnovit, simulque magnam catarrhoicorum morborum similitudinem. Per longum tempus horum virorum praecepta inter medicos valuerunt, usque dum Galenus in pyretologia novam lucem accenderet, qui febres diligentius distinxit, et peculiarem indolem singularium justius intellexit. Hunc morbum de quo loquimur, sub Lipyriarum *) et Epialarum **) nomine descripsit, utpote quod ex quorundam symptomatum insignitate desumptum est. Medicorum, qui humorum pathologiam colebant, doctrina, ex Graecorum et Galeni ratiociniis maxime desumpta non permultum ab his distat. Morbos quidem haud existere, nisi humorum, asseruerunt, ex quorum stimulis componantur; quamobrem de muci abundantia, acrimonia, in venas transvecti irritatione multa et varia descripsere, et morbum plerumque gastricis febribns immiscuerunt. Haec doctrina, procedente circa finem saeculi septimidecimi chemica rerum exploratione, aliquantulum modo permutata est, ubi perpetuae inter medicos contentioncs gerebantur, num alcalinum quoddam, an acidum materiei fermentatione in morbis excitaretur ***). Cum postea contrarii vero, solidariam medicinam praedicantes caput efferrent,

---

*) Galen. libr. de febrium differentiis.

**) Galen. tractat. de morb. mulierum. Cap. de Epiala febr.

***) Georg. Baglivi Opera omn. med. pract. Antwerp. 1709. p. 50 et al.

mucus quidem dignitate pathologica orbatus est, febris autem mucosa, alio licet sub nomine accuratius subinde descripta in commentariis occurrit, cum de natura morbi sola aberraverint. Vehementiores ingressus in existentiam febris muc. recentiores dicti systematis cultores tentarunt, morbos ex sola nervorum irritatione intellecturi, quo tempore ill. epidemiarum observator, Sydenhamius muco pristinam reddere gloriam tentavit.

Obscurior vero hucusque, ac minime acriori penna notata facies et natura morbi apparet, qui tum cum gastricis, tum nervosis febribus confusus, tum ex muco in sanguine abundante et pyrexias exasperante intellectus est. Anno autem 1760 ex febrium intermittentium nimiò confluxu epidemia dysenterica, valde turbulenta enata est, quae, ut semper ejusmodi solent, genium morborum epidemicum in gastrico-biliosum transmutavit. Illico enim, postquam dysenteria per aliquot menses lethali ingressus erat passu, mensibus autumnalibus, Novembri et Decembri *) exorta est epidemia morbi mucosi dirissima, gravioribus ac manifestioribus stipata symptomatibus, ac alicubi alias invenimus narrata. Praeclarissimam hujus, Hannovriae paludosis superfusae regionibus epidemiae descriptionem Roederer et Wagler **) in lucem protulerunt. Cum novus vero genius epidemicus Stollianas provocaret scholas, lux prima rectiori febris cognitioni, magisque suppeditanti curae affulsit, quamvis omnibus temporibus praeclara de hoc morbo a fidelibus naturae observatoribus, a Galeno, Avin-

*) Roed. et Wagler l. c. pag. 16 etc.

**) L. c.

cenna, **Huxham**, **Fr. Hoffmann**, **Baglivo**, **Ballonio**, **Hollero**, praesertim ab **Sarcone** et **Selle**, **Th. Glafs**, et multis aliis, postea requirendis denotata sint. **Stollius**, sagacissimus morborum contemplator, biliosorum et pituitosorum propriam et veram indolem cognovit, et, aphoristice licet, accuratissime descripsit *), felicioremque, haud omnibus temporibus quadrandam curam praescripsit. Omnes morbi enim tum pituitoso aut bilioso vestimento induti ingrediebantur, quare horum observationis uberrimus fons; medendi ratio autem, huic modo aetati favens, posterioribus haud adrisit. Dum genius epidemicus huic theoriae favebat, magnam obtinuit famam, alternante vero sub pristini saeculi finem, **Brownii** praeceptis deculsa est, qui in idem delapsus vitium doctrinam, suae aetati adaequam, omnibus probabilem celebravit. Sub hujus viri auspiciis, qui materiei irritationem solam in morbis peccare, ausus est contendere, febris mucosa ex morborum gradatim se excipientium numero omnino fere evanuit. Novissimus tandem rerum perversor, Gallus **Broussais**, febri mucosae, magnam, invitus licet, celebrationem paravit. Hic novarum, hucusque in Gallia florentium idearum auctor, pristinam, arte fere superstitem doctrinam de febribus reliquit, et omnes morbos ex tunicae mucosae tubi intestinalis inflammatione derivandos esse putavit, cadaverum diligenti perscrutatione permotus. Frequentissime enim degenerationes, seu aliae permutationes tunicae tubi intestinalis mucosae in cadavere occurrunt,

---

*) M. **Stoll** aphorismi de cognoscend. et curand. feb. Vind. 1786. §. 376 et s.

quas omnes ex gastroenteride, communi caeterorum morborum fonte, pendere credidit. Nos autem lubenter iis consentimus, qui hasce permutationes variissimas a variis causis, morbis scilicet, quorum certa apparent phaenomena, derivent, et credimus, simulacra in tunicis intestinorum mucosis haud minus multiformia et diversa esse, ac cutanea, de quibus postea explicatius disseremus.

Febris mucosa variissimis nominibus descripta est, denominatione tum a quotidiano exacerbationum reditu, tum a ratione frigoris et aestus, tum a cruditatibus, ex quibus oriri putaverunt, tum demum ex nervosorum symptomatum comitantium apparatu desumpta, quare etiam febris mesenterica Baglivi, febris glutinosa Sarconi et Sellei, phlegmatica, lymphatica aliorum, phlegmapyra Schwediaur, febris nervosa lenta Burserii, Huxhamii et aliorum *), Epiala et Leipyria **) Galeni, Syncopalis humorosa ***), febris ex cruditate †)

---

*) Th. Glafs commentar. de febr. ad usum Hippocr.: Haud raro pituitosa colluvies circa stomachum intestinaque colligitur. Posse hanc materiam corrumpi, nemo inficias ibit, sed ex hoc saepe proficisci febres lentas nervosas, vix aliquis (quoniam res nova est) facile admissurus sit.

**) Epialas, utique cum calor et frigus simul aegrum tentent, Leipyrias, quia, dum interiora aestuant, extrema algent.

***) Avicenn. Lib. 4., Fen. 1, Tract. 2, cap. 53, quum scilicet in animi defectiones fuerint proclives aegri.

†) ex qua scilicet orta est. Holler. De morb. intern. lib. 2.

febris gastrica *), morbus mucosus **) subinde auditur.

Hic morbus est catarrhalis affectio tunicae tubi intestinalis mucosae concomitante febre, reactione totius organismi in hujus organi affectionem. Ex primordio quidem in tunica intestinorum tenuium praesertim haerens, passim in totius tubi intestinalis, nec non organorum respirationis et uriniferorum tunicas mucosas provadit. Nomen catarrhi, quod huic appono febri, haud novum duci potest, cum jam veteres hanc febrem catarrhum appellaverint malignum, et P. Frank in hanc denominationem revertendum esse duxerit; et hoc nomine, Schönleinii sequens rationes, non solum istam peculiarem bronchiorum, eorumque processuum affectionem comprehendo, sed omnes tunicarum mucosarum affectiones, quae durante vita certo symptomatum apparatu stipatae sunt, quibuscum phaenomena in cadavere accuratissime conspirant. Propter hanc miram anatomice et physiologice cruendorum signorum similitudinem conducet, si catarrhum bronchiorum, febrem gastricam, mucosam, biliosam, diarrhoeas et alia in eandem conjicimus familiam.

Signa, quibus morbus incedit, et in membranis mucosis, et in toto organismo requirenda sunt, quorum al-

---

**) Ballonius.

***) Roederer et Wagler l. c.

*) J. P. Frank de curand. h. morb. Epitome. Venet. 1794. Lib. I. pag. 161: Forsitan non vana hujus morbi denominatio foret, si catarrhum universalem cum gastricae, nervosaeque symptomatibus eundem diceremus etc.

tera cum alteribus intime mixta apparent. Aegroti primum incipiunt non belle se habere, anorexia, ciborum aversione, nausea, post pastum vero oppletionis sensu, vomituritione vexantur, qua vice epigastrium medentis oculo expansum, ventriculi ambitus tensus et prominens apparet. Quam intestinorum conditionem oris tunica mucosa manifestat. Omnis fere oris ambitum, linguae praeprimis dorsum mucus ex albido-griseus, insipidus, spissus, nec quandoque tenuis in modum velamenti obtinet. Disparet in apice et marginibus, quae vero jam minaci rubore fulgent, quo omnis passim lingua obsidetur, ubi haec imaginem praebet, carni crudae haud dissimilem*). Rubori pedissequitur siccitas, contrario vero modo ab alto in margines decurrens, initio tantum exacerbati morbi signum, sensim matutina vix disparens remissione, ut demum lingua laevi induta veste conspicia-

---

*) M. Sarcone, Geschichte der Krankheiten, die durch das ganze Jahr 1764 in Neapel sind beobachtet worden. Uebers. v. Fuesslein. Zürich, 1772. II. Theil, §. 424 u. 25.: Es kamen in unserer epidemischen Krankheit gewisse Zeichen vor, die allen beständig waren. Auf der Zunge erschien, so zu reden, ein käsigtes Pflaster oder mehligte Haut von der Farbe weissen Speckes, welche den Gaumen etc. übertünchte. Es erschien von dem ersten Tage an, und war eine unzweideutige Anzeige der Veränderungen, welche sich im Fortgange der Krankheit in den Säften erzeugten: Sintemal, indem es stuffenweise von Weiſs ins Blasse überging, es zuletzt dunkelblaſs, und in einen garstig röthlichen Unflath verwandelt ward, der sich einzig auf dem Rücken der Zunge aufhielt, und zuletzt die Spitze und die Seiten derselben unbedeckt lieſs, welche von einem wüsten Roth gefärbt erschienen.

tur. Colluvies passim mucosa, tenacior viscidique glutinis instar introitum canalis cibarii, fauces, amygdalas, palatum et oesophagum oblinit *) cum aridissimo sensu (saliva lenta), continuisque eructationibus, quibus aeger interdiu ad propellandas massas laborat. Noctu quidem aliqua gaudet quiete, haud omni carens somno, matutino autem tempore magna hujus viscidi, pellucidi, vitrei adeo, in filos prolixos ductilis, spissi, canescentis, nec non interdum singulariter flavescentis muci copia assiduis nisibus, tussibus, ipso vomitu eructatur **). Excurrit copia interdum librarum plurium modum, et salivationem simulat. Dummodo in superioribus tubi cibarii partibus laesio haeret, alvus obstricta est, illico, ubi post tres, quatuorve dies profundius effluit in intestina tenuia et crassa, subitis dejectionibus laxatur, et trina seu quaterna per nychthemeron excitatae diarrhoeae ejusdem albuminosi, tenacis, indigestis cibis, bilisque nonnunquam pigmento, in liberis saepe vermium frustubus commixti muci profluunt. Has pronunciant quidem dolores abdomen divagantes, flatus, borborhygmi ***), qui serius evanescunt.

Haud raro subinde tusses validae, oppressio, spiri-

---

*) Porro inter febres lentas haud raro pituita tenax admodum totas adeo opplet fauces, ut strangulationem pene minitetur, dato autem emitico, mirum est, quam immensa vis glutinosae colluviei, albumen ovi referentis, et saepe vel eo multo crassioris ejicitur. J. Huxham, dissert. de feb. nerv.

**) Stoll rat. med. T. III. Ephemerid.

***) Stoll aphorism. l. c. §. 377.

tus anhelosi, muco defatigati viscidissimo, qui canales obruit aeriferos, et descripti peculiaris muci expectoratio, dolores peripneumonici *), morbum in respiratoria organa provectum esse indicant. Simulac autem organorum uropoeticorum et pudendorum integumenta interna infestantur, foeminarum vulva eundem aspectum praebet, ac os, mucilaginoso scilicet defoedatam limo paludem, ex qua albuminosus, viscidus mucus assidue propullulat.

Urinae omni tempore pallidae, acido urinali magis minusve orbatae **), postea jumentosae subinde conspiciebantur, ex quibus larga mucosa recesserunt sedimenta, tum farinosa, nec non terrea.

Haec tunicarum mucosarum prodeuntia signa febrilia comitantur, rectionem laesae naturae significantia. Ab initio statim exardescit febris ad typum intermittentis ***); lassitudo, vespertinae horripilationes, quas color persequitur, ad cutem jam aridam, praesertim circa volam et plantam ardens. Pulsus pleni, incitati fortius micant, caput dolet, sensu gravitatis captum, artuum debilitas, decussatio. Haec per noctem deflagrat, usquedum mane singula evanescunt, remanentibus vero lassitudine, moe-

---

*) Stoll rat. med. T. III. pag. 141: Tusses validae, sputa parca, tandem multa ductilia, pellucida, ovi albumini instar febrem superius descriptam peripneumonice invadisse, significabant. Comp. pag. 138.

**) Urina plerumque colore diluta est, aliquando aquosa, sed raro sano coloratior; saepe autem conturbatur, et sedimentum crassum et divulsam inest. Holler l. c.

***) Propterea quotidiana passim nominatur.

rore, capitis gravitate plumbea, facie aliquantulum decomposita *). Post quatuor autem septemve dies febris intervalla evanescunt, ipsaque febris remittentis, et passim continuae in modum exardet **), signa se in tunicis mucosis manifestantia exasperans, statusque exinde adducitur, qui nervosus vocatur. Febris enim character proprius pari passu procedit. Intermittentis, et saepius remittentis indoles est erethistica, modicum scilicet et sufficiens naturae reagentis conamen, rarius synochalis; ingravescentem vero ad continui normam morbum torpida comitatur febris, imbecillis et exhausta totius organismi reactio, ubi status dictus nervosus mox enascitur. Huncce insigniunt capitis gravitas aucta, dolor praesertim circa occiput vagans, virium magna prostratio ***), artuum lassitudo, decussatio, sensuum tarditas, aurium susurrus tinnitusque, obauditio †), visus, lucem effugiens, atro quasi velamento obvelatus, stupor, sopor, delirium mite, pulsus inanes, frequentes, vermiculares, cutis aridissima.

Nonnunquam inflammationes subintrantes conspiciuntur, comite febre synochali, utpote quae pulsu duro, forti, frequenti, urinis profunde rubentibus, aucto calore et cutis ariditate, siti vehementi insignis est. Frequentissime arachnitidis aerumnosa occurrit complicatio, qua juveniles prae ceteris, robustos, constitutione aeris favente, illico in morbi exordio aut octavo ad quintum decimum usque die infestat. Subitaneae tum congestionis

---

*) Ballonius tract. de morbi mulier.

**) Stoll. rat. med. l. c. Ephem.

***) De his vid. et Galen. tract. de morb. mul. l. c.

†) Stoll rat. med. l. c.

ad caput signa exoriuntur, facies rubet cute ardente, capitis dolor, temulentia, oculi rubore fulgent, sensuum alienatio, tarditas, obauditio, visus obnubilatus amblyopia, ipsa amaurosi laborat, insomniae, deliria furibunda, qualia febris mucosae vigori desunt. Pleuropneumoniae etiam quandoque febris mucosae satellites exstant *), rarissime vero Peritonitidis complicatio adest.

Curriculum morbi fallax atque incertum, et si optima contingunt, per septem seu quatuordecim dies **), saepius vero per quadraginta et ultra fraudulentibus vicibus persistens. Decurrit autem morbus his symptomatibus stipatus haud aequaliter deflagrans, sed tarde, minusque tumultuose, in plures porrectus septimanas. Sub apparente lenitate interiora gravissime et periculose adeo infestat. Singula sine ordine exardescunt, remittunt, aut per plures dies omnino fere intermittunt, subita autem per exigua admodum vitia rabie exasperantur, aegrotos lethaliter quandoque prosternentia. Dum exinde corporis lassitudo, capitis gravitas, quae mane praesertim cum dolore obtuso commixtam se manifestat, vertigo, illico ubi exsurgere tentat, vigiliae, pulsus admodum irritati, levissimis incitamentis permutandi, nec non vesperi ignes ad volas et plantas remanent, deficientibus crisibus, cave, ne praesenti-

---

*) Stoll rat. med. l. c. pag. 141. Hipp. aphor. 16. Sect. VI. dicit: A. pleuritide aut peripneumonia occupato alvi profluvium accedens malum est.

**) Bagliv. l. c. in epist. ad Andry: Id autem pro certo dicam, me praefata medendi methodo febres cum apparatu humorum, quas voco mesentericas, circa decimum quartum vel vicesimum primum diem tollere.

bus contentus omnem abstergas metum. In hoc autem omnes fere consentiunt. Baglivus dicit: In febrium mesentericarum curatione saepe vidi, inutile esse, dies criticos *), eorumque vim et potestatem observare, quam spernant, sed tantummodo vehementiam ac remissionem accidentium. In alio loco: Glandulae mesenterii nimium repletae, nonnisi lente ac paullatim e sinu crudos humores emittunt in vicina intestina. Communis est enim omnibus morbis glandularum diuturnitas. Schoenleinius de hac febre disserit, se periodice intrantem signorum exacerbationem et remissionem, sicut in decursu unius diei conspicimus, observare haud potuisse. Hinc etiam illa Authenriethii, febre mucosa non solum aegroti, sed etiam medentis patientiam gravissime angi.

Tria vero potissimum in hoc vacillante morbi decursu, dummodo aëris, seu aegroti constitutio faveat, accedunt, aphthae scilicet, alvi cruenti seu vermibus commixti, et miliaria.

Aphthas praesertim post tres, quatuorve septimanas in ore atque ano esurrexisse, et aliorum **) et nostra frequens docet observatio. Pronunciant qnidem ructus, spiritusque male olentes, austeri, plerumque foetidi, gingiva et os admodum purpurascens, salivatio. Cumulatim exinde bullulae parvae circa labia et linguae dorsum exoriuntur, omnemque oris ambitum passim occupant, ut palatum molle subinde imaginem aqua fervida com-

---

*) Compar. Sarcone l. c. pag. 113.

**) P. Frank epit. l. c.: quas apthas, post horas non multas, abstersas, post alias iterum copiose repullulasse conspeximus.

busti praebeat. Illico autem in laryngis et intestinorum tunicam mucosam provehunt, et demum in ano nec non partium genitalium interioribus conspicuae fiunt integumentis. Mox deinde tenesmus adest, et alvorum dilutissimarum, vermium frustis quandoque submixtarum, largior profluxus.

Itidem frequens morbi comes miliaria sunt exanthemata *), quibus cutis prae ceteris abdominalis infestatur, quapropter nomen ducunt abdominalium, seu, cum sine aula plerumque conspiciantur, alborum miliarium. Prodromi periculosae complicationis exstant sat manifesti: Cutis aegroti pruriens, cui si manum admoveas, urens igne pungente, mox inodoris, partialibus, morbum nondum diluentibus sudoribus inundatur, circa omenta dolores fugaces periodice divagantur, alvi interea retentae, nec non quandoque liquidae et chylosae sunt. Extrema sensu rigiditatis, et obtuso, cui ille formicarum submixtus est, capiuntur, dum cor vehementius palpitat, et prae-

---

*) Hoffm. Med. Syst. T. 4. S. 1. Cap. 9 et observ. 7 dicit: nam in acutis febribus etc., si alvus diutius adstricta est, vel diarrhoea contingens sistatur, purpura subsequi solet alba; et cap. XI, observ. Clin.: Si febres catarrhales malignae et exanthematicae alvi fluxu solutae fuerunt, aegri a purpurae albae incursu immunes perstiterunt, quae haud raro declinante morbo non *sine* magno periculo supervenit. Comp. c. his Stoll. aphor. et rat. med. l. c. et P. Frank l. c. etc. Thom. Glass l. c. dicit: Quinetiam ex nostris medici nonnulli per alterum fere mensem vel ultra haud raro perstitisse Febres miliares viderunt, ubi intra provocationem sudorum, stricta interim alvo, curatio instituta fuerit.

cordia anxietate opprimuntur. Febriculae interea subito exoriuntur, et mox evanescunt, pulsibus plerumque acceleratis. Prorumpunt subinde in toto abdomine efflorescentiae albidae, parvae, crystallinae splendoris, acriori oculo tantummodo conspiciendae, attactu autem asperae, quae solitas miliarium metamorphoses mox intrant, longiusque seu brevius aegrotum vexant.

Die septima aut quartadecima morbus, si meliora contingunt, frequentius vero vigesima octava usque ad quadragesimam diem et ultra, si nervosa lenta adest, crisibus solvitur parum spectatis, potiusque lysibus dicendis. Quas tum ex sudore diffuso, qui omnem irrorat cutem, levat aegrotum, et mordacem diluit calorem, (si miliarium complicatio adest, epidermis frustatim elevata desquamatur), tum ex urinis requiras, quae largius admodum profluentes jam lacte lutescent, turbulentis spoliatae sedimentis, quibus turbatae antea jumentosae apparebant. Nervosae sollicitationes critico somno, quieto, restaurante, longe perdurante solvuntur. Alias crises endemica, epidemica seu individualis profert constitutio, nec non complicationibus peculiares producuntur crises: prout cruores in plethoricis et arachnitide laborantibus, e naso stillantes, atque a symptomaticis luculenter distinguendae. Criticae enim, caeteris congruae signis, diebus concitantur criticis, et aegrotum levant. Praeterea sanguinis effusi conditio, copia parca, rubra mixtione et aliis signis a symptomatice profluenti, dissoluto, ex livido-nigrescenti longe diversi notam reddit diagnoscendi sat manifestam.

Epidemicus morborum genius saepe ad finem morbi parotides provocat.

Periculum instans praesagiunt capitis aucta gravitas, dolores circa occiput, ex quo alii cerebelli affectionem concipiunt, tinnitus, susurrusque aurium persistens, obauditio, dolorque ad aures, sub attactu auctus, inter quae tumor elevatur parvulus sub aure, vehementissime vero dolens, febre mucosa crisibus nondum soluta. Tumor exortus raptim vicina devorat, et mox ad terrificam amplitudinem increscit, profundiora organa praesertim lethaliter quandoque persequens. Hoc criticum naturae conamen omnium periculossimum est, nam tum in suppurationem colliquativam tendit, et profunde latentia organa, carotides, venas colli, priusquam medicus territus putaverit, erodet, tum collapsum interiora lethaliter infestat. Stollius *) fere eadem docet, plurimique auctores consentiunt.

Aeger autem non omni tempore ex morbo dicto modo reconvalescit, saepissime in alios morbos ruit **), in Quotidianam seu Tertianam malignam, apoplexiam ***), Dysenteriam, choleram cum maxima virium exhaustione, hypochondriases †), et in ipsam mortem.

Lethalis exitus variis causis et in irritationis, florescentiae et in retrogredientis morbi stadio producitur. In primordio enim inflammatione, arachnitide, peripneu-

---

*) Rat. med. Quibus parotides sub hac febre tumescebant, de vita periclitari nihi idcirco videbantur, quod haec materies ad vicinum quoque encephalum eodem impetu feratur, et perimat.

**) Roeder et Wayler l. c. p. 24.

***) Stall aphor. l. c.

†) Stoll aphor. l. c.

monia, in exsudationes serosas seu coagulabilis lymphae pronis plerumque decumbunt; in secundo stadio aphthae gangraenescentes; et in ultimo efflorescentiae miliares, satis haud evolutae, seu rejectae, parotides et alia stragem edunt lethalem. Si vero circa morbi exitum status nervosus, qui nervosa lenta interdum audit, exoritur, vires paralytica mesenteriorum affectione franguntur, atrocissimis signis: Decubitus supinus, corpore ad pedes dilabente; dum extrema gelidescunt, thorax calore teritur mordaci, abdomen meteoristice tensum, facies decomposita, hippocratica, diarrhoeae assiduae, serosae, foetidissimae, nec quandoque non alvi retentio, pulsus vermicularis, coma vigil, et ilum paralysis in nervos pulmonales transvecta est, anhelosa respiratio, novissimum signum est.

Cadaverum ratio post mortem haud minus singularis et quoad permulta phaenomena analoga cum morbi signis, ex quibus haec saltem intelligenda sunt.

Procedunt enim pari passu permutationes in interioribus tubi intestinalis integumentis, ac morbus symptomata varia gignit, quare ad stadia diversas, in alio alias inveniri opus est. Idem quippe viscidus, ex albido-griseus mucus, quem ex ore et ano profluentem vidimus, omnem canalis intestinalis tunicam mucosam agglutinatur. Quem si, difficulter licet abstergas, ipsa tunica a sana longe diversa est. Color enim tum profundissime rubens, tum ex griseo-obscoena percipitur, inter quae extrema variissimis vacillat formis *). Consistentia mol-

---

*) Eundem fere membranae mucosae habitum Louis: Anatomisch-patholog. Untersuchungen über Erweichung etc.

lior est, volumine licet aucto et crassitie majori, ut tunicam facile pultis instar seu frustatim a substrato musculari abstergas. Haec jam eximiam in gangraenam inclinationem tunicae arguunt, quae manifestissime in exanthematibus *), hic illicque sparsis, quibus gangraenescentibus ipsa tunica in ultimo morbi stadio obsita est, se exhibet. Tunica enim mucosa intestinorum tenuium praesertim, nec non, rarius licet, crassorum in singulis locis circumscripte, quasi cultro excisa, illic maculatim ex albido-coerulea, alicubi cinerea, nigrescens ipsa ap paret, quae permutationes maculas conformantes, nullis concomitantibus phlogoseos signis, praesertim in margine intestinorum libero occurrunt. Si hanc rem propius accedis, harum perversionum multifarias formas ex eodem processu pathologico cognosces, ex morbosa scilicet (catarrhalem supra appellavimus) tunicae, in gangraenam pronae affectione, quae quidem totam obtinet tunicam, quomodo ex aucta emollitie, colore griseo, obscoeno e aliis liquet, in singulis locis vero ad exanthematum conformationem exardescit legibus pathologicis adhuc obscuris. Historia exanthematum haec satis docet, quae eadem est, ac cutaneorum, et tria stadia exhibet. Prin-

---

der Schleimhaut übers. von G. Bünger. Berl. 1827. pag 48. ennarrat, ubi de gastromalacia disserit.

*) Pro certo enim habeo, exanthemata in tunica mucosa nec minus manifesta ac singularia, multasque exhibentia formas, occurrere, ac in cute, quae in scarlatina, in variolis, morbillis, typho abdominali et aliis morbis ita etiam in febri mucosa habitum longe diversum praebent. Forsan potius enanthemata dicenda sunt.

Schoenleinius.

cipio coerulea elevatur macula, venarum affluentium abundatia effecta, quae sensim sensimque pallescit, et similem vestem induit, ac medulla cerebri. Griseum passim et ex griseo-brunum adipiscitur colorem, molliorque et mollior redditur. Mox demum in plumbeam albam pulpam pallescit, seu in nigram escharem gangraenescentem exsiccat. Sublevatur dein, atque in frustibus deripitur pulposa massa, ubi maculae supra dictae subrotundae, lenticulares, tunica carentes mucosa, in quorum sinu musculares objacent, fibrae conspiciuntur *). Has permutationes longe singulares eodem fere modo Roederer et Wagler **) in epidemia anni 1760 observaverunt, et acri admodum penna notaverunt. Observationes a Richtero, Pinel, Paris, Bretonneau, Horn aliisque factae eadem fere exhibent, et procul dubio ab his morbus saepe cum gastroenteritide, gastromalacia est confusus. Ipse Louis confitetur ***), se in omnibus fere gastromalacia decubitis tunicam intestinorum tenuium mucosam profunde rubentem, molliorem et exulceratam invenisse. Alio loco dicit †), in exulceratione t. m. ulceris margines cultro quasi abscissas et reliqua tunica haud superiores exstare. Quare easdem certo invenit permutationes: morbi symptomata autem obscurius atque fugacius attingit, quam in quo febrem mucos. cogno-

---

*) A. Louis l. c. fere eadem profert simulacra in gastromalacia, et in tunica intestinorum mucosa, si mollior fit, atque gangraenescit.

**) l. c.

***) L. c.

†) L. c.

scere possemus, licet tussis, vomitus, diarrhoeae et al. frequentem faciat mentionem. Recentiores cadaverum perscrutatores, ad quos etiam Billard *), Andral et alii pertinent, summe licet de accurata observatione tunicae mucosae in intestinis defunctorum meriti, in idem vitium delapsi sunt, ut tum singulas permutationum formas ex uno, inflammationis, fonte derivantes confuderint, tum symptomata morbi omnino fere neglexerint, quod nihil videre voluerint, nisi phlogoseos symptomata. Natura autem ubivis diversa et multifariis abundans formis. Andral **) dicit: So ist der Rand des Geschwürs bald vollkommen weifs, bald roth, bald hell- oder dunkelbraun. Auch in Bezug auf die Dicke und Consistenz finden wir Nichts Bestimmtes an der Rand-bildenden Schleimhaut. Quis tunc ulcera admodum ab emollitie, aut gangraenescentibus degenerationibus distinguet, nisi ambitu, marginibus et fundi conditione? Abercrombie ipse omnes perversiones ex inflammatione tunicae mucosae derivat. Nihilominus jam Sarcone ***) permutationes dictas plerumque in epidemia suae aetatis accuratissime observavit. Dicit quidem: Die Gedärme waren meist von schwarzblauen Striemen bedeckt, oder von zerstreuten Flecken, wie bei den Petechien. Ihre Höhle war beständig mit einem zähen, glänzenden, zuweilen aschgrauen oder blafsgelben Leim

---

*) Billard, über die Schleimhaut des Magens und Darmkanals. Uebers. von Urban. Leipz. 1828.

**) Andral's Grundrifs der patholog. Anatomie, herausgeg. von V. Becker. Leipz. 1830. II. Theil, p. 65.

***) L. c. §. 447.

übertüncht, der eine Art von Membran vorstellte, welche abgerissen, die unter ihr liegenden Theile mehrentheils entzündet und abgestorben erblicken liefs. Bei denen, die den bösartigen Durchfall erlitten, waren die Gedärme so beschaffen: Die schleimigte Haut, welche ihnen zur Vertheidigung dient, fehlte und erschien abgeschabt, an andern Orten erschien eine Rinde von hellem, dichtem Leim merklich angehäuft, unter welcher die Membran wohlgefärbt, oder mit weifsen Blätterchen (Aphthen) versetzt, oder von einer wüsten blafsgelben und aschgrauen oder schwarzblauen Farbe gefärbt erschien. Gangraenescentia in febre mucosa occurrentia exanthemata tunicae mucosae satis superque distinguenda sunt a degenerationibus tuberculosis phtbisis intestinalis, carcinomatosis, ab exanthematicis, quae in Morbillis, typho abdominali, occurrunt, et inflammatoriis; nam margines integerrimi et nihilo prae cetera tunica eximii, nec callositatem, elevationem nec noviter formata vascula praebent; fundus caret tunica mucosa, in quo fibrae musculares conspiciuntur. Glandulae insuper Peyeri et Brunneri, folliculi sic dicti mucosi, semper maxime hypertrophicae et muco abundantes inveniuntur, quas Roederer et Wagler *) uberrime observaverunt, et in iconibus additis perillustraverunt.

Causae morbi majori quidem gaudent medicorum consentione, de quibus veterum observationes ab novissimis permultum haud discedunt, et, licet rationes, quibus morbum excitent, ignotae sint, de causarum vi du-

---

*) L. c.

bium justum proferri nequit. Ipsae enim tum in corporis, tum aëris, tum in terrestribus conditionibus sitae sunt, quibus praeparantibus, accidentalia, in victu, vestitu seu aliis rebus vitia morbum provocant. Gravioris quidem momenti in excitanda febre priores causae praeparantes, quia febris rarius sporadice infestat, plerumque epidemico more late per provincias diffusa ingreditur, et dum aliis regionibus parcit, in aliis, favente coelo et terra sedentarium figit domicilium, assiduis furibunda ictibus.

Praeparantium causarum prima interna continet momenta, peculiarem scilicet corporis habitum, partiumque structuram. Quare in leucophlegmaticis, obesis, fibris laxis, muco abundantibus, sedentariae vitae addictis, puerperis, sensibilibus, moerore, vigiliis, venere et studio exhaustis, imbecillibus, victu usis vegetabili, austero, farinoso, nec non in melancholicis, atrabiliariis prae ceteris conspicies. Morbus, nulla quidem aetate alienus, juveniles praesertim infestat, corpore nondum perfecto, dum organa chylopoetica se evolventia ceteris praeponderant, potiusque feminas, ac viros persequitur. Respuit autem plethoricos, robustos, in quibus respirationis organa efflorescent. Ex hoc jam antithesis inter systema arteriosum et venosum eximia liquet, quam per universam morborum historiam persequaris licet; nam cum phlogoses cum systemate arterioso maximam familiaritatem praebeant, catarrhi, et plurimi morbi systematis chylopoetici venoso et per hoc nervoso potissimum adnexi sunt systemati.

His internis contrariae exstant causae externae, eundem procreantes effectum, quorum alterae atmosphaericae, alterae terrestres sunt. Aër enim turbida, exhala-

tionibus vaporosis, assiduisque rorans pluviis, mephiti, irrespirabilibusque gravida pneumatibus, nec non gelidior, dum aestivo tempore terra calidior fluida evaporat, electrica abundans materie, cujus impar copia interdiu quidem oscillationibus latet, matutinis vero horis, nebulosos excitans vapores, quibuscum illi terrae se communicat, maxime conspicua fit — illam constitutionem exhibet, quae catarrhalis-rheumatica subinde audit. Hunc aërem autem aestivum autunmaleque tempus praecipue conflant, dum Aelios nubibus continuo obvelatus, pluviis minitatur frequentibus, et Aurora nubila excitat, atque rores; noctibus gelidescentibus, dum dies aestuantur —: quare hoc tempore morbus frequentissime observatur, recurrentibusque annis dirissimae evolvuntur epidemiae. Sane autem comparet, annos, dictis carentes momentis, febre etiam carere: exinde saepe per longum annorum spatium, genio regnante morborum inflammatorio, nequaquam conspicitur, sicut in annis 1811 et 12, anno autem sequente, humidissimo, nec non gelido tristissimam epidemiam per omnem Europam, nec ulli parcentem urbiculae sparsam vidimus, annos 1816, 17 et 18, arido reintrante aëris conditione oculis morbus se omnino subduxit, tardius autem, dum gastricus morborum genius caput efferret, et tepidae hiemes annorum 1818, 19, 20 rheumaticum et catarrhalem evolverent genium, hic illicque saepe iterum observatus est. Quem fugit durissimima strages, quam epidemia anni 1824 in paludosis regionibus Belgiae septemtrionalis edidit, cum morbus aestuante anno 1829 plane videretur exstinctus? Cum his aliorum praeterea observationes consentaneae sunt.

Baglivus *) dicit: Certa Romanorum observatione constat, post ingentes Tyberis inundationes oriri febres epidemicas in urbe valde graves et perniciosas. **Stollius** praeclare dicit: Descriptae febres lentae nervosae dici queunt, et prout aestivae febres plerumque a biliformi materie gignuntur, ita hae autumnales a pituita abundante fiunt. Plerumque mucosae hae febres constitutioni aestivae et hiemali, si modo suum haec tempora tenorem servant, intermediae jacent; ut uno extremo biliosos aestatis morbos contingant, altero hiemis inflammatorios. In sequentibus docet, brumalem phlogosin in vernam pituitam extabescere, et appetente autumnali refrigerio bilem mitescere et immutari, ubi tunc denuo pituita oriatur distracta per universum fere vasorum systema. **Sarcone** **) dicit eodem modo: Wenn diese Krankheit von der Hungersnoth herrühren sollte, läſst es sich nicht begreifen, wie die Körper 3 Monate lang dieser wiederstehen, und die Ankunft des Aprils erwarten konnten, um sich darüber bei diesem zu beschweren. Addit alio loco, ventos durante epidemia semper austrinos fuisse, aëremque tepidum produxisse. **Roederer** aliique ***) dicunt: universalium causarum altera referri potest ad tempestatem humidam. Inde enim a mense Julio ad usque epidemiae mucos. nativitatem raro coelum serenum, sed nubilum. Successit deinceps et humida hiems. **Th. Glaſs** †) dicit, lentae utique febres

---

*) L. c. pag. 51 et seq., ubi de febr. messenter agit.

**) L. c.

***) L. c. pag. 27.

†) Th. Glaſs. l. c. p. 94.

in regionibus minus aestuantibus, constitutione aëris humida, circa loca uliginosa frequentissimae sunt.

Quod terrestres causas attinet, febris haud aequabiliter supra regiones disparsa est, nec in omnibus dictae annuae vices et conditiones occurrunt. Incolit terras tumidas, ubi coelum sempiternis madet vaporibus, solum uliginosum evadit. Praeplacent loci humiles, paludosi, rivulorum submersi fontibus, valles profundae, montibus subjectae, in quorum angustiis populationes inquinatae, humiles cumulatim coarcentur, nec non fluviorum, mariumque ripae, annuis submersae inundationibus. Aridos autem fugit campos, calcarium et lapidearium stratium incolas, montium apices ambit, et ex terrarum alto ad marium ripas delabitur.

Haec quidem viri jamjam nominati, Stollius, Baglivus, Sarcone, Frankius, et alii docent, nec non luculentissime morbi extensionis geographicae contemplatio. Disparente enim febre circa medium Europaeicorum fluviorum decursum, ubi montibus fit elatior terra, ostia occupat, et sedentarium figet domicilium. Dum e. g. in Belgiae superioris, in Bruxellensibus altis agris, atque Rheni medii ripis eminentibus circa Confluentia, a Coloniis usque ad Moenum tendentibus omnino fere disparet, circa Rheni Scaldisque ostia uberrimus lethalium exituum fons evadit. Quare Alpium, Apenninorum incolis aliena, Romanos, Pontinicarumque paludum obsides assiduis vexat endemiis. Quis ignorat epidemiam anni 1764 in deterioribus agris Neapolitanis famosissimam? In superioribus Europae mediae provinciis Austriae, Bohemiae, circa montes aërios, piniferos, silvam Ottonianum etc. rarissime occurrit, nec nisi in val-

lium angustiis, delapsa vero in Würtembergiae, Saxoniae et Hannovriae planities uberrime efflorescit, variissimis admirandisque conspicūa formis. Patriam autem agnoscit Suediam, Danoniam, camposque sinuatos, quos maria septemtrionalia irrorant, coelo eximios turbido et solo annuis inundationibus madescente.

Cum hae plerumque causae ad provocandum morbum requirantur, liquet, eundem neutiquam nisi epidemice ingredientem conspici. Catarrhi leviores, formaeque passim graviores catarrhoicorum morborum epidemiae procurrunt, ex quibus demum ipsa enascitur. Sine dictis causis ergo nulla fere febris mucosa adesse potest; si autem arrident, exiguum admodum ciborum seu vestimenti vitium, quod alia vice catarrhum leviorem aut rheumatismum provocasset, nunc febrim excitat muc. Sufficit haud raro refrigeratio corporis sudantis, haustus gelidus, quo nervi cutanei seu mesenterici irritatione afficiuntur, seu insipidorum, farinosorum ciborum abusus et panis recens parati, humidisque stillantis devoratio. Haec enim in fermentationem mox subiguntur, intestinaque aegre infestant. Porro piscium, putredinem spirantium devoratores, quos aut necessitas coarctat, aut consuetudo indurat, nec non pueri scrophulosi, foeminaeque imbecilles, quorum intestina saburrae colluviesque pituitosae agglutinantur, creberrime morbo intendunt.

VITAE CURRICULUM.

Ego Theodorus Schilgen, confessioni catholicae addictus, Rheinae ad Amisiam anno hujus saeculi nono, die tertio mensis Aprilis natus sum, patre J. G. Schilgen, matre Catharina, e gente Straeter, quibus adhuc salvis intimo animo gaudeo.

Primis literarum rudimentis patrios intra muros imbutus anno MDCCCXX in gymnasium, quod Rheinae floret, receptus, scholas inferiores absolvi, dein autem Monasteriense petii, ibique per duos annos literis humanioribus vacavi. Testimonio maturitatis ornatus anno MDCCCXXVI ab Ill. Kistemaker, Rectore Magnifico civibus Universitatis Monasteriensis adscriptus, per annum philosophicas nec non medicas praelectiones adii. Appetente sequentis anni autumno, Fridericam Guilelmam Rhenanum petii, et a Cel. Harlefs t. t. facultatis medicae decano nu-

mero studiosorum medicinae adscriptus, per quinque semestria clarissimorum virorum praelectionibus interfui:

Cel. van Calker de logica et psychologia, Cel. a Münchow de physice experimentali, Cel. G. Bischof de chemia experimentali, Cel. Nöggerath de mineralogia, Cel. Nees ab Esenbeck de botanice, Cel. Goldfufs de zoologia et zootomia. Ex ordine medicorum tradiderunt mihi encyclopaediam medicam et physiologiam, anatomiam comp. Cel. Müller, anatomiam et generalem et specialem Cel. Mayer. Nec minus Cel. Mayer et Weber duces mihi erant in dissecandis cadaveribus. Formulare me docuit Cel. Bischof, materiam medicam, pathologiam et therapiam specialem, diaeteticen Cel. Harlefs, Anthropologiam, therapiam generalem et specialem, morbos psychicos Cel. Nasse, ophthalmiatricen, chirurgiam, akiurgiam Cel. a Walther.

Relicta hac academia, Mense Aprili MDCCCXXXI musarum sedem Berolinensem adii, atque sub auspiciis Ill. Boeckh, Rectoris Magnifici albo academico insertus per seme-

stre clinicis adfui scholis: chirurgicis Ill. Rust, medicis Cel. Wolf, ophthalmiatricis Cel. Jüngken, nec non Cel. Casper de medicina forensi audivi disserentem. Anni ejusdem M. Novembri in universitatem literariam Herbipolensem profectus sum, in qua sub Rectore Magnifico, Cel. Schön florente has praelectiones frequentavi: Cel. Schoenlein de pathologia et therapia morborum acutorum, et de syphilitide, Cel. D'Outrepont de arte obstetricia. Per duo semestria clinico medico, duce Cel. Schoenlein, per unum clinico chirurgico duce Cel. Textor, per unum clinico obstetricio duce Cel. D'Outrepont, uti licuit. In operationibus chirurgicis rite faciendis Cel. Textorem, et obstetriciis Cel. D'Outrepont habui duces.

Quibus omnibus viris, summe de me meritis, maximas habeo, semperque habebo gratias.

Jam tentaminibus, tum philosophico cum medico atque examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vena portarum non est vena.

II.

Semen foecundat, non aura seminalis.

III.

Vomitus nonnisi contractione ventriculi.

IV.

In statu criseos medicus methodo exspectativa utatur.

V.

Nulla suppuratio, nisi ex inflammatione.

VI.

Amputatio per lobos circulari praeferenda.

VII.

Systema artificiale in botanices studio rejiciendum.